

curvitatem etiam hoc in casu fieri nimis manifestum est,) ab aqua egreditur (rectius expellitur,) secedente autem ipso, aqua ingreditur.

C O N C L U S I O VI. Primiorum autem inter vulgaria clepsydræ Phænomena, quinti sc. & sexti, causa genuina hæc est: Aér hic inferior à superioris altissimi mole valdè compressus, & ab ambientis vicini partibus æquè compressis ubique locorum undiquaque conclusus, magno conatu quaquaversum enititur, & consequenter pars ejus fundo clepsydræ E proxima [vel siphonis recti H imæ aperturæ, vel dolii epistomio &c.] liquoris elapsuri pondus facile sustinet, quippe solitariè ipsum urgens & aëris orificio supero vicini adjumento carens, propter interceptum à pollice aditum. Quod autem hic pollex præstat, idem in Heroniana geminata valvula K [Fig. 27.] relaxata etiam certius & exactius efficit, ut repleto ventriculo A receptus inibi liquor excidere non valeat, dum alterâ valvulâ H adapertâ clepsydra in eo statu in aliud liquorem demersa hunc etiam altero suo ventriculo B similiter excipit, & postmodum remissâ valvulâ H similiter detinet.

C O N C L U S I O VII. Remoto verò pollice à clepsydra F [Fig. 22. Num. 3.] cùm aér orificio proximus tantundem deprimat aquam, quantum fundo proximus eam attollit; audis illius viribus per aquæ proprium pondus inferiori aéri incumbens, necessum est hunc, tanquam debiliorem cedere & aquæ liberum fluxum permettere: eo momento autem, quo per admotum denuò pollicem aëris auxilium superne intercipitur, hunc iterum vincere & aquam de novo iusti. Neque verò necessum est multis hic monere, quod obturaculi superni in dolio relito & valvulæ in geminata nostra Heroniana eadem prorsus, quæ ibi pollicis, ratio, adeoque proliquore dextri ventriculi A [Fig. 27.] effundendo non nisi valvulâ K depresso opus sit, & ex opposito, ut hic fluor iterum fistatur

Causa 5.

Phæn.

Causa 6.

Phæn.